instar est, donec solidioris cibi fiant capaces, instituantur, (III.) utque sic crescant non tantum ætate & statura, sed & fide ac pietate in salutem. Enimvero tanquam locum plane parallelum citabimus cap. 28. Jesaianum v. 9. ubi Propheta, questus de rejectione Prophetiæ suæ, inter alia dicit: מִי יָבִין שְׁמוּעָה Quis intelligit auditum (auditus ponitur pro fide ipsa, quæ per Verbi auditum acquiritur) Vid. Glass. in Rhet. Sacra. Illine qui sunt גְּמֻלֵי מֵחָלָב, ablactati & depulsi ab uberibus, עֲתִיקֵי מִשָּׁדָם? Propheta quippe instruxerat auditores dictis & sermonibus lacte catechetico refertissimis: hos tamen illi respuebant, & fontem pure fluentem ἀκατά-σχητοι negligenter turbabant. Itaque catechetico lacte deficiente, ipse cultus rationalis, qui fide in Messiam, & timore in Deum, charitate in proximum sese exserit, deficiebat. Id quod ex nonnullis citati capitis vers. patet. Hactenus de ἐξήγησι. Sequuntur *Theoremata V.*

Locus parallelus.

THEOREMA I.

Etsi doctrina catechetica puræ revelationis est; tamen a λογικοῖς ἀνθρώποις & tradi debet, & capi; ut adeo eam recte rationalem, ratione subjectorum talem, appellitare queamus.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ.

CAput I. Epist. I. Pet. versu ultimo, qui immediate connectitur cum nostris verbis, pro fundamento positis, assertionem nostram confirmat. Sequentia enim ibi habentur verba: Τὸ ῥῆμα Κυρίου ἐστὶ τὸ ῥῆμα τὸ εὐαγγελισθὲν εἰς ὑμᾶς (pro ἐν ὑμῖν.) Si autem est Verbum Domini lac catecheticum, utique est puræ relevationis. Propositio exinde fit clara, quia Deus solum nobiscum loquitur per modum revelationis

Catechesis est puræ revelationis.

Confirmatur I. Argumento.

Hebr.